

## Franckesche Stiftungen zu Halle

### **Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos**

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis  
Epistolas Commentariivs

**Manuzio, Paolo**

**Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX**

**VD18 90852230**

Epistolae II.

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

[urn:nbn:de:hbz:33-1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-219543)

*Nec bene instructus]* Tantum abest, ut beatus, ut nec bene instructus sit. Erat igitur similis duorum exulum, Ciceronis inimicorum, conditio; cum illum esurire, hunc bene instructum non esse, Coelius dicat.

*Politici libri]* Sex libri, in quibus formam Cicero expressit eius reipublicae, quae, ut apud Augustinum in libris de ciuitate Dei scriptum animaduerti, a secundo Punico bello ad Ti. Gracchi tribunatum, id est, ad Africani minoris interitum, floruerat: ipsumque Africanum cum C. Laelio, M. Manilio, P. Furio Philo, consularibus viris, disputantem de optimo statu ciuitatis induxit; probauitque ceteris rebus publicis ideo Romanam antecellere, quod ex triplici genere, regio, optimatum, populari, temperata, nullam neque domesticae iustitiae, neque bellicae rei partem desideraret: cum in singulis generibus aliquid inesset vitiosum, quod exitium ciuitatibus asserere posset: confusis autem omnibus, perfectum quiddam existeret, quo reipublicae salus et incolumitas conseruaretur. Appellat eos, *de optimo reipublicae statu*, lib. 1. de Leg. c. 5. *de optima reipublica*, lib. 3. c. 2.

Scriptis eos ab exilio restitutus, post Appium et Domitium coll. in extrema epist. 9. lib. 1. ubi sua scripta commemorat, nullam omnino de his libris mentionem facit: puto, quod absoluti non essent: institutos enim eo anno, videtur indicare lib. 3. ad Q. Fr. epist. 5. Horum librorum fragmenta, quasi tabulas naufragio disiectas collegit diligentissime, natus ad illustrandam antiquitatem, omnique prorsus ingenii ac probitatis laude cum ipsa antiquitate conferendus, merito mihi et sua virtute, et singulari erga me studio carissimus, Carolus Sigonius: cuius etiam industriae atque doctrinae non solum argumenta cuiusque de reipublica libri, sed etiam obscurorum locorum, quicumque in omnibus Fragmentis doctorem lumenque requirebant, explanationem verissimam ac discretissimam debemus.

*Omnibus viget]* Attico maxime: ad quem lib. 6. epist. 1. Cicero ita scripsit: *Cum sex libris, tamquam praedibus, me ipsum obsinxerim, quos tibi tam valde probari gaudeo.* Et ad eundem epist. 3. ibidem: *Reliqua plena adhuc et laudis et gratiae, digna iis libris, quos tu laudas.*

## EPISTOLAE II.

## ARGVMENTVM.

*M. Valerius Messalla ante annum consul fuerat cum Cn. Domitio Caluino, creatus ex interregno, per ambitum, septimo anni mense, ut ex Dione et Appiano cognoscitur. accusatus de ambitu est, absolutusque anno ante quam consul fieret: de quo sic lib. 3. ad Q. Fr. epist. 8. Messallam iam nostrum, reliquosque molestia leuatos, vehementer gaudeo; eumque quod certum consulem cum Domitio numeratis, nihil a nostra opinione dissentitis. Rursus eodem crimine in iudicium vocatus, enasit incolumis Hortensio defendente. qua de re lib. 4. ad Attic. epist. 17.*

*epist. 17. in libro autem de clar. orat. c. 96 ita loquitur Brutus:* Hortensium magnum oratorem semper putavi, maximeque probavi pro Messalla dicentem, cum tu abfuisti. Sic ferunt, inquam, idque declarat totidem, quot dixit, ut aiunt, scripta verbis oratio. *Et Valerius lib. 5. c. 9. sic:* Hortensius Messallam, suae sororis filium, heredem habiturus, ambitus reum defendens, iudicibus dixit: si illum damnassent, nihil sibi, praeter osculum nepotum, in quibus acquiesceret, superfuturum; hac scilicet sententia, quam etiam editae orationi inseruit, filium potius in tormento animi, quam in voluptatibus, reponens. *Idem postea retractus in iudicium damnatus est: quod Coelius epist. 4. significat.* De absolutione igitur, quam nemo expectaverat, de exhibito Hortensio, Messallae patrono, de Marcelli consulis impetu sedato, de consularibus comitiis, de suis in aedilitate competitoribus, de pantheris, de syngrapha Sittiana, de commentariis rerum urbanarum, brevissime ad Ciceronem Coelius, et, suo more, familiarissime scribit. Tota negotialis est epistola.

## EXPLANATIO.

**Certe, inquam]** Quod inopinata res acciderat, quam vix Cicero credidurus esset, qui Messallam corruptis pecunia comitiis factum esse consulem plane noster, ab affirmatione oritur.

*Me praesente ERN. repraesentante]* Sic aliquot antiqui libri: alii, *me repraesentare*: nonnulli, *me prehensante*: quod non displicet, putat aliquis, *matre prehensante*: quae fuit soror Hortensii oratoris. ego nihil affirmo.

*Pronunciatum est]* Latis sententiis, pronunciabat ex lege praetor, quod iudicium maior pars iudicasset. maiore sententiarum numero vel absoluebatur, vel condemnabatur reus: si par erat, nihilominus absoluebatur: quod oratio docet pro Cluentio c. 27. ex pronuntiatione igitur praetoris, absolutum sententiis omnibus Messallam, cognitum est.

*Ordinibus]* Aurelia lege, quam Hortensio et Metello cons. tulit L.

Aurelius Cotta praetor, tres ordines iudicare coeperunt, senatores, equites, tribuni aerarii: cum equites antea lege Cornelia L. Sullae per annos decem turpiter iudicassent. Pedianus ad Corneli. 1. et in nostro de Romanis legibus libro copiose.

*Vide modo; inquis]* Dum nimis amat brevitatem Coelius, obscurat saepe sententias: quod in Thucydide vitium Cicero notavit. videtur tamen fingere dicentem Ciceronem: *Vide modo, Coeli: non de Messalla bene homines existimant? non eius patet innocentia?* Respondet Coelius: *Non mehercules, etc.*

*Validissime]* Pro, *validissime*. nam, *valde* fit a *valide*. Vnicum adhuc inuenimus exemplum, quod recitat Carisius ex diui Hadriani orationum 12. *A vobis, inquit, P. C. peto et impetratum validissime cupio, ut proxime imaginem Augusti argenteum potius clipeum, sicut Augusto, ponatis.*

Ad

*Ad dolendum*] Vt eius vicem dolerem, eique dolorem meum vultu et verbis declararem: quod officium amicitia postulat.

*Captus*] Vt is, qui capiuntur, itidem mihi, rei nouitate, et huiusce non expectato iudicii euentu, percussus affectusque animus est, prorsus me stupor oppressit.

*Corripuerunt*] Reprehenderunt. sic locutus epist. 9.

*Relictus lege Licinia*] De ambitu absolutus, cui poenam irrogabat Licinia lex.

*Maiores periculo*] Elapsus enim priore iudicio non sua innocentia, sed iudicium sordibus, accusabitur de corruptis iudiciis, maiore periculo, quam de ambitu. damnatum ostendit epist. 4.

*Postridie eius absolutionem* ERN. *absolutionis*] *Postridie eius* dixit Sulpicius lib. 4. epist. 12. et Caesar lib. 1. de bell. Gall. c. 23. 48. 51. *Postrido ludos Apollinares*, Cicero lib. 16. ad Attic. epist. 4. *post-riduo*, pro postridie, Plautus in Mil. glor. Act. 4. Sc. 2. v. 90. *postridie*, simpliciter Cicero.

*Theatrum Curionis*] Non erit huius theatri, quod in funebri patris munere Curio dedit, inuicenda cognitio. sic enim a Plinio describitur lib. 36. c. 15. *Theatra duo iuxta fecit amplissima o ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus utrisque, antemeridiano ludorum spectaculo edito, inter sese auersis, ne inimicem obstreperent scenas, et reuente circumactis, ut contra starent, postremo iam die descenditibus tabulis, et cornibus inter se coeuntibus faciebat amphitheatrum, et gladiatorum spectacula edebat.*

*Hortensius*] Quo defendente impunitatem Messalla erat assecutus. auunculum eius fuisse, et Valerius ostendit lib. 5. c. 9. et Plutarchus in Sulla.

*Vt suum gaudium gauderemus*] Vt sua lacticia lactaremur. sic et *sultare saltationem*, in oratione Scipionis Aemiliani contra Ti. Gracchum, apud Macrobius lib. 2. Saturn. c. 10. et *dolere dolorem*, et similia.

*Hic tibi*] Pro, tunc. nam tibi, ornamentum causa positum, ut lib. 9. epist. 2.

*Tonitruum*] Cum e strepitu, fremitu, clamore quiddam tonitruum simile fieret.

*Rudentum*] Rudere, asinorum more, homines solent, cum aliquem contumelioso ludibrio vexant.

*Sibilus*] Cum et ruderent simul, et exsibilarent Hortensium. fortasse autem, *rudentum sibilus*, ideo coniunxit Coelius, quod illud Pacuvii memoria teneret, *Rudentisibilus*, notatum a Varrone lib. 4. de L. L. antiquitatem enim paullo etiam magis, quam decuit, imitari Coelio placuit: quod a Tacito et Quinctiliano reprehensum videmus.

*Intactus a sibilo*] Ingredientes in theatrum sibilo excipiebantur ii, de quibus bene populus non existimaret. de quo in orat. pro Sextio c. 54. *Et, qui pendet a rebus lenissimis, qui rumore, et favore populi tenetur et ducitur, plausum; immortalitatem, sibilum, mortem videri necesse est.* Et lib. 2. ad Attic. epist. 9. 21.

*Vicisse*] Obtinuisset, ut Messalla absolueretur.

*Marcelli*]